

speciosam, muscam ambis. Ambis vina et delicias, muscas ambis, quæ carnem, quæ palatum titillant, non satiant; quæ brevi in sordes et cadavera verſe, fetorem et nauseam parient. Ambis præbandam, ambis officium, muscam ambis, rem exitum ambis, quæ brevi à te ad successorem avolatib. Vis honorari, vis præcellere, vis amari, vis coli, muscam ambis; quasi chameleon populi auram captas, ventum hauris, vento vivis, vento deliciaris. O curas hominum, ô quantum est in rebus inane! Miseri, ceci mortales, curritis quasi gallinæ sine capite, sine cerebro ad escam, ad vermes, ad papilionis, ad muscas; curritis ad præbendas, ad dignitates; curritis ad mensas, ad convivâ, ad pocula; curritis ad merces et opes, et non semel cogitatis. Et quid tandem? quò hæc omnia? quid post hæc erit? cur hic sum? cur à Deo animam rationalem et immortalè accepit? cur solem cœlumque suspicio? quis locus, quis status animam meam, post hæc omnia brevi finienda, excipiet? Ito nunc, adolescens, salta, larete, inebriare, venturi et veneri indulge; sed scito quòd pro his omnibus adducet te Deus in iudicium, quòd ibis in domum æternitatis tuæ. Vive ergo, non ut chameleon muscis, sed ut leo escis solidis, vive Deo, vive æTERNITATI: esto aquila: Aquila non capit muscas; noli ambire primas inter graculos, cum aquila esse possis.

STELLIO. Animal est non dissimile lacerte, multò tamen minus, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum; vesicitor rore et araneis, morsus ejus hominem semispitidum facit, varièque afflicti; nullum animal stellione homini fraudulentius invidet: eum enim quam quotannis exiit, protinus devorat, ut præcipiat homini presentissimum comitalis morbi remedium. Unde stellio significat fraudulentum, et crimen stellionatus vocatur crimen doli et imposturæ. Ita Plinius, lib. 30, c. 10. Stellionis vox erat illa Lysandri, qui cum culparetur, quòd multa per dolum ageret, respondit: *Ubi leonina pellis non sufficit, ibi assuenda est vulpina*. Testis est Plutarch. in Apophth. Numerantur hic septem reptilia; quia licet omnia reptilia sint immunda, ut patet v. 41, hæc tamen præ reliquis. Ita Isychius. Verùm cur lex hæc comedi vetat? — Præter litteralem causam datam v. 29, symbolica est quam assignat Novatian. I. de Cibis judaicis c. 5, ubi sic ait: *Quis mustela corpus cibum faciat? sed furta reprehendit; quis lacertiam? sed odii vitæ incertam varietatem; quis stellionem? sed maculas execratur prædæ de alienâ morte quærentes; quis corum? sed versutas execratur voluntates; quis passerem? (ita enim ipse veritè quod habent Sept. *appellat*, sed malè; constat enim ex Hebræo, Chaldæo et nostro verendum esse strutionem: nam passer non immundum, sed mundum erat animal, aptumque etiam ad expiationem, ut patet hic c. 15, § 3): *Cum eum interdicit, intemperantiam coarguit; quando noctuam, odit lacifugas veritatis; quando egnum, cervicis alte superbus; quando charadriam, garrulam nimis linguæ intemperantiam; quando vesperilionem, quærentes tenebras noctis simus, et erroris; sic in canelo vitam damnat enervem,**

et criminibus tortuosam; cum suem, vitam reprehendit bonum suum in solâ carne ponentem; cum leporem, accensat reformatos in feminam vitos. Tradunt enim physici, lepore utrumque inesse sexum, uti et hyæne. Ita et Cyrillus lib. 9 contra Julian., Radulph. et Isychius jam sæpius citati. Potest quoque lepus esse symbolum usurarii; nam, ut ait Plutarch., lepus simul parit et aliud alit, et rursum superferat: ita generator æs alienum, priusquam conceperit, parit. Nam dans matuum, statim petit fenus, illudque tollens, rursum fenerat quod pro feno accepit. Peccata ergo et vitia bestiarum sunt, hominemque quasi in bestiam commutant.

Præclare Boetius l. 4 prosâ 5: *Quem, ait, transformatum vitis vides, hominem æstimare non potes; sed fuisse hominem, ad hæc ipsa humana corporis relicta species ostentat. Avaritiam ferret alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferax atque inquietus, linguam litigis exercet? cani comparabis; insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? vulpencis exaquetur. Ira intemperans frenit? leonis animam getare credatur. Pavidus ac fugez non metuenda formidat? cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum sivit. Levis atque inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Pædis immundisque hibernibus immergitur? sordidâ suis voluptate delinetur. Ita homo probitate desertâ vertitur in belluam.*

VERS. 51. — OMNIA HEC (reptilia) IMMUNDA SUNT, non tantum quoad esum, sed etiam quoad tactum, ita ut ea tangere non liceat, ut patet v. 41 et 43; et c. 5, 2, ubi reptile æquatur morticino, quia venenosum est utrumque.

VERS. 52. — GILICIA. Heb. est *sac*, id est, *saccus*, per quem Hebræi significant vestes è pills duras, quales sunt rusticorum, mendicorum, penitentium.

IN QUOCUMQUE FIT OPES, q. d.: Vas quocumque, quo ad opus aliquid utimur.

ET POSTEA MUNDABUNTUR, id est, erunt munda; non enim aliâ lotione vel mundatione erat opus, sed adveniente vesperâ, expirabat hæc legalis immunditia, ut rursum censerentur munda. Patet ex Heb., Chald., Sept.

VERS. 53. — VAS AUTEM FICTILE, IN QUOD HOMINEM QUODAM INTRO CEDERET, POLLUTERET. Hebr. *oreum* quod est in eo, scilicet vase tali, pollutetur, et idcirco frangendum est, quia scilicet fictile est; nam si, foret ligneum aut metallinum, non esset frangendum, sed abluendum, ut dixit v. præc. Simile autivimus de vase fictili, in quo coquitur car sacrificii pro peccato, c. 6, 28.

VERS. 54. — OMNIS CIBUS, etc. si FUSA FUERIT SUPER EUM AQUA, IMMUNDUS ERIT. *Aqua*, intellige immunda, vel fluens ex immundo vase; unde Chald. vertit, *aqua quæ aliquid horum*, puta pollutorum jam dictorum, tetigerit.

Tropol. Aqua immunda molliem animi significat; est enim hæc aqua cupiditatis, quæ inficit illud cui miscetur. Sicut ergo tentatio immunda tali aquâ madidos molles et languidos necat; sic aridos

et fortes exercet, roborat et coronat. Ita Radulph.

ET OMNE LIQUEUS QUOD MITTIT DE UNIVERSO VASE IMMUNDUM ERIT. *Vase*, intellige immundo. Nota. Tantum de liquidis dicitur, quòd ea pollutantur; unde videtur quòd siccæ, v. g., panis in tali vase immundo positus, non fuerit pollutus: cujus ratio congrua est, quòd siccæ non tam facile sordes recipiunt, ut humida.

VERS. 55. — ET QUICQUID DE MORTICINIS HUIUSCE-MODI CECIDERIT SUPER ILLUD (VAS) IMMUNDUM ERIT, scilicet illud vas, in quo aliquid de morticinis cecidit.

SIVE CLIBANUS, quibus panes coquantur, sive CRYPTOPODES, id est, ollæ habentes pedes, ut sunt dipodes, tripodes, etc., quia fictiles sunt et latei, juxta dicta v. 53.

Tropol. clibanus est patientia martyrum, chryptopodes sunt doctores, in quibus cibi sanæ doctrinæ, supposito igne operationis Spiritus S. coquantur, quia hæc nihil prosunt, nisi omnia immunda declinent. Ita Isychius et Radulph.

VERS. 56. — FONTES VERO, ET CISTERNE, ET OMNIS AQUARUM CONGREGATIO MUNDA ERIT. Intellige, etiamsi quid immundum in eâ ceciderit: ita statuit Deus ob necessitatem aquarum, quibus carere nequit homo. Eadem ratio est de semine, ut sequitur v. 37, nisi illud esset aquâ perfusum; tunc enim, quia humidum, facilis sordes contraheret, idèoque censebatur immundum, dandumque erat bestii; quia nulla expiationis hic fit mentio.

Tropologicè, fons et semine significat doctrinam veritatis, quæ etiam de morticinis, id est, vitis, disputans aut disserens, non pollutur, neque pollutur, nisi animam aqueam et mollem, quæ turpia per consensum attrahit et imbibit. Ita Radulphus.

VERS. 40. — QUI COMEDERIT EX EO (morticino) QUICQUID, SIVE PORTAVERIT; intellige nascens, IMMUNDUS ERIT USQUE AD VESPERAM; nam si sciens comedisset quis, graviter peccasset, et supplicio fuisset dignus.

VERS. 41. — OMNE QUOD REPTAT SUPER TERRAM, ABOMINABILE ERIT, quia testestè, fedum et venenosum est, uti dixi v. 31.

Tropol. reptilia sunt et reptant, quia cœlum et cœlestia negligunt, qui corpus et mentem per terram trahunt; quorum omnia desideria sunt terrena, quorum mens non est in æthere, sed in ære, quorum deus venter est, aut mammona, aut ambitio. Similis tropologia est sequentium.

VERS. 42. — QUICQUID SUPER PECTUS QUADRUPES GRADITUR, (quia pedes habet breves: unde necesse est, ut in motu innitatur ventri et terræ, uti serpentes. Tropolog. significatur gastrimargia, sive gula delicti; ita Isychius); ET MULTOS HABET PEDES, ut vermes; SIVE PER HOMINEM TRAHITUR, uti sunt reptilia, NON COMEDETIS, quia ABOMINABILE EST.

VERS. 45. — NOLITE CONTAMINARE ANIMAS VESTRAS, CAPUT XII.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit

id est, vos ipsos, contrahendo immunditiem legalem per esum animalium hic vetitorum: quamquam poterant contaminare animam etiam peccato, si scilicet scienter, contra præceptum hoc ea comediscent.

Nec tangatis quicquam eorum, quæ proximè preceperunt: alia saltem tangere licebat, verbi gratiâ, camelis insidere poterant, uti dixi v. 26. Hinc patet, ex hæc lege non licuisse Judæis tangere reptilia, ita ut, si ea scienter tangerent, peccarent.

Judæi ergo per reptilium contactum, non tantum incurrebant immunditiam legalem, ut vult Abulen., sed et spiritalem, puta peccatum. Violabant enim hoc præceptum Dei: *Nec tangatis quicquam eorum*; nec rursum: *Ne polluatis animas vestras in omni reptili*. Jabet enim hic Deus, ea quasi immundissima nec comedi, nec tangi. Ne, ait, immundis sitis, scilicet tam legaliter quam spiritaliter. Ratio est quæ sequitur.

VERS. 44. — SANCTI, id est, mundi, ESTOTE (sic sanctus pro mundo capitur Deut. 23, 14, ubi dicitur: *Uti sint castra tua sancta*, id est, munda) QUIA EGO SANCTUS, id est, mundus, sum, qui delector immunditiam gentilium in sacrificiis et epulis, de quibus S. Aug. 6 et 7 de Civit., quicque volo vos sanctitatem meam spiritalem hæc corporali vestrà imitari et representare.

Nota. Temperantia et abstinètia à cibis vitis, vocatur hic sanctitas, id est, puritas, quia cibi vitis censebantur immundi, pollutati et execrabiles, ac comeditentem polluere et contaminare, uti sæpius hic inculcat Deus. Audi S. Bern. ser. 22 in Cant: *Uti statum, ait, in Scripturâ sanctificationem pro continentia, seu munditia ponit. Denique, quid ille apud Moysen tam crebre sanctificationes aliud erant, quàm quædam purificationes hominum temperantiam se à cibo, à potu, à concubitu, hisque similibus? Sed audi apostolum: Hæc est, ait, voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestram vas suum possidere in sanctificatione, et non in passione desiderii. Item: Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Liqueat quòd sanctificationem pro temperantia ponit. Nolent id heretici, discantque hæc jejunia et abstinentiam lege Dei et Ecclesiæ sanctitatem, vocari et esse sanctitatem.*

NE POLLEATIS ANIMAS VESTRAS IN OMNI REPTILI. Audiant hoc et intelligent tropologicè Christiani, ut iis quæ humi reptant, quæque ima terræ sunt bona, non se polluant, sed animam sanctam Deo et cœlo conservent.

VERS. 45. — EGO ENIM SUM DOMINUS (Heb. *egc sum Jehova*, scilicet in meipso per essentiam, et *Elohim*, scilicet vobis per providentiam, imperium et gubernationem), QUI EDUXI VOS DE TERRA ÆGYPTI, UT ESSEM VOBIS IN DEUM, q. d.: Idèò eduxi vos, ut essetis mihi populus separatus ab aliis gentibus, earumque ritibus, et peculiariter cultui meo addictus. Hoc beneficium, quia primum, maximum et fundamentum cæterorum, passim inculcat Deus.

CHAPITRE XII.

1. Le Seigneur parla encore à Moïse, et lui dit:
2. Parlez aux enfants d'Israël, et dites-leur: Si une femme ayant usé du mariage, enfante un mâle, elle sera impure pendant sept jours, et elle demeurera sè-

septem diebus, juxta dies separationis menstruae.

3. Et die octavo circumcidetur infantulus.

4. Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suae.

5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duobus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suae.

6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suae, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbae sive turtorem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti.

7. Qui offeret illa coram Domino, et orabit pro eâ, et sic mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parentis masculum aut feminam.

8. Quòd si non invenierit manus ejus, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato; orabitque pro eâ sacerdos, et sic mundabitur.

COMMENTARIUM.

VERS. 2. — MULIER SI SUSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASculum, IMMUNDA ERIT SEPTem DIEBUS. Pro suscepto semine, hebraicè est *tazria*, quod Oleaster. Cajet. hic et Jansen. in Concord. Evang. c. 10, vertunt si fecerit semen, id est, prolem, hoc est, si generarit. Est enim *tazria* in hebraeo activum; et semen passim in Script. capitur pro prole. Verum melius verissime nostrum interpretem, suscepto semine, patet primò, ex eo quod sequitur: *Et pepererit*; inde enim patet *tazria* quod praecedit, verendum esse, si susceperit semen, sive conceperit, formâritque factum: alioqui enim idem diceretur, essetque tautologia dicendo: Si generarit et pepererit. Secundo, quia cum nostro interprete consentiunt Sept. qui vertunt *êên cœpucacôh*, si susceperit semen; et Chald. si conceperit; et Hebraei, Lyrams ac Vatabl. qui vertit, si suscepto semine marem pepererit. Tertio, quia Hebraeum *tazria*, propriè significat, si semini fecerit, si semen fecerit et emisit, more scilicet naturali et ordinario, hoc est, si suscepto viri semine, sum quoque emittens, conceperit. Mulier enim in conceptu viri semen suscipiens, sum quoque emittit in matricem, quod mox à virili semine retinetur, coagulat atque fortificatur, itaque crescit, et tandem in membra consurgit: sicut concipitur embryo, sive infans, inquit Hebraei et Vatabl., qui addunt: Ex virili semine formantur nervi et ossa, ex mulieris verò semine producantur caro, sanguis et gili infantis. Sed hoc ultimum negant medici, asseruntque membra omnia mixtum formari ex semine, tam mulieris, quam viri.

Hinc communis Patrum et doctorum olim, uno excepto Abulensi, fuit sententia, Beatam Virginem parientem Christum hac lege non fuisse comprehensam: eò quòd ipsa non ex suscepto viri semine suum emittens, sed ex Spiritu sancto, Christi corpus ex purissi-

parè des choses saintes, de même que dans ses purgations ordinaires.

5. L'enfant sera circoncis le huitième jour.

4. Elle demeurera encore trente-trois jours pour être purifiée de la suite de ses couches. Elle ne touchera à rien qui soit saint, et elle n'entrera point dans le sanctuaire, jusqu'à ce que les jours de sa purification soient accomplis.

5. Que si elle enfante une fille, elle sera impure pendant deux semaines, pendant lesquelles elle sera séparée des choses saintes, comme dans ses purgations ordinaires, et elle demeurera soixante-six jours pour être purifiée de la suite de ses couches.

6. Lorsque les jours de sa purification auront été accomplis, ou pour un fils ou pour une fille, elle portera à l'entrée du tabernacle du témoignage un agneau d'un an, pour être offert en holocauste; et elle offrira pour le péché qu'elle peut avoir commis le petit d'une colombe, ou une tourterelle qu'elle donnera au prêtre.

7. Qui les offrira devant le Seigneur, et priera pour elle, et elle sera ainsi purifiée de toute la suite de sa couche. C'est là la loi pour celle qui enfante un enfant mâle ou une fille.

8. Que si elle ne trouve pas le moyen de pouvoir offrir un agneau, elle prendra deux tourterelles ou deux petits de colombes: l'un pour être offert en holocauste, et l'autre pour le péché dont elle peut être coupable; et le prêtre priera pour elle, et elle sera ainsi purifiée.

mis ejus sanguinibus efformante, Christum conceperit, quasi singulari Spiritus sancti providentiâ, hanc Virginem excipere volentis, factum sit, ut Moses hoc loco non sit usus verbo *hara*, quod absolutè concipere, sed *tazria*, quod suscepto viri semine suum emittit, itaque concipere significat. Ita docent Origen., Rupert. et Radulph. hic, atque Euseb. Emissus, S. Ildesonus, S. Eligius, Laurent. Justin. ser. de Purificatione B. Virginis, S. Bern. de eadem ser. 3, Euthymius, Theophil., Ansel., Beda in Luca 2, Chrysost. homil. de occursu Domini; gravissimè verò S. Cyrillus Alexand. lib. 2 de Fide ad Reginas sub initium, contra Arianos id ipsum confirmat. Clarè patet, ait, in quantum impietatem probabant Ariani, qui Deiparam Mariam iis sacrificiis, qua pro puerperis ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt.

Unde et nostri heretici Melancthon, Artopæus, Sarcerius et alii, aliàs in Beatam Virginem iniqui, id ipsum confitentur, uti ostendit Petrus Canisius l. 4, Marial. c. 12. Simili modo Exodi 15, 2, ex Patribus ostendi, lege illâ primogenitorum non fuisse comprehensum Christum; eò quòd Christus non aperuit vulvam matris, sed eâ clausâ ex virgine natus est.

Dices: Haec lex purificationis statuitur puerperis propter fluxum sanguinis, qui eis naturaliter contingit in puerperio, ut dicitur v. 4, ob hunc enim immunde censentur puerperæ, et purificari debent; atqui iste fluxus fuit etiam in B. Virgine: ergo et illa hac lege comprehensa fuit, debuitque purificari. Ita Abulens. — Respondeo minorem esse falsam, esseque contra communem Patrum sententiam, qui asserunt partum B. Virginis fuisse purissimum, omnique sordis et fluxus sanguinis expertem. Ita disertè Sophronius in VI synodo actione 2: *Parus*, ait, *Virginis fuit incorruptibilis, quia sine fluxu sanguinis, aut simili pas-*

sione perfectus est. Ita et Epiph. l. 3 contra heres., in fine. S. Cyprian. serm. de Nativit. Christi, S. Aug. l. de quinque haeres., 5 haeres.: *Stulte*, inquit, *unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in eâ qua non concipiuntur libidinem, nec pariendo passa est dolorem? Ita et synodus Trullana plusquam 200 Patrum, can. 70, partum Virginis absque secundinis (licet alii vertant, absque dolore) fuisse definit. Voluit ergo Spiritus sanctus excellentiam Virginis hic indicare, quò magis eluceat ejus humilitas et obedientia, quâ licet legi huic non obnoxia, eam tamen adimplevit, uti una ceterarum puerperarum immundarum. Esto*, ait S. Bernardus serm. 5 de Purificatione, *ô Virgo, inter mulieres tanquam una earum, nam et filius tuus sic est in numero puerorum.*

Nota. Haec lex purificationis jam est abolita, uti et reliquæ ceremoniales veteris Testamenti; nostræ ergo puerperæ eâ non obligantur, possuntque sine peccato statim à partu gratias actura templum ingredi, uti respondit Innocent. III c. unic. de purific. post partum; tamen ob venerationem imitationemque Beate Virginis, multæ ab ecclesiâ introitu 40 diebus post partum abstinent, ait Radulph. l. 8, c. 6, sub initium. Unde et Innoc. addit: *Si tamen ex devotione aliquandiu voluerit abstinere ab ecclesiâ, devotionem earum non ducimus improbandam.*

Dices: in Missâ Ethiopum dicitur in benedictione puerperæ: *Tu, Domine, docuisti Mosem constitutionem mundam, etc., quaesumus ergo pro ancillâ quæ servavit constitutionem tuam; ergo hæc Moysi constitutio etiam Christianas obligat.* — Respondeo: *Quæ servavit constitutionem tuam*, intellige, quoad ipsam ceremoniam purificationis, non autem quoad ipsam rationem et obligationem legis, sive constitutionis; nostræ enim puerperæ huic constitutioni se conformant, non quia illa obligantur, sed spontè et ex devotione suâ jam dictâ.

Tropol. hæc purificatio symbolum erat penitentiae, quâ puritatem animi recuperamus. Praclare Nazianz. orat. 6: *Nihil, ait, Deus purus tanto in pretio habet ac puritatem aut purgationem. Et Barlaam moriturus discipulo suo Josephat commendat animi puritatem, quasi ingentis pretii thesaurum, teste Damasceno. Hinc ad purgandas criminum sordes balneum ex sanguine suo nobis Christus preparavit. Nam, ut ait S. Joannes Apoc. 1: Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et Paulus ad Tit. 2: Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et manderet sibi populum acceptabilem. Quare Tertull. lib. de Pœnit. docet statim esse penitentiam, et animam peccato lesam statim curandam et purificandam esse ostendit exemplo brutorum. Cervus enim transfusus, ut ferum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, sicut sibi dicimus medendum. Hirundo si exaccaverit pullos, novit illos oculare rursus de suâ chelidonia. Peccor restitendo sibi institutum à Domino exomologesin sciens, praeteribit illam? Idem habet Pacianus Exhort. ad pœnit., unde subdit Tertull.: *Penitentiam tu, pec-**

cor, ita invade, ita amplexare, u. naufragus alicujus tabulae finem: hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevari, et in portum divinae clementiae prolevari.

S. Ephrem lib. de die judicii: *Compunctio, ait, sanctias animæ est, illuminatio mentis est; compunctio remissionem delictorum nobis acquirit. S. Hier. in Epitaphio Fabiolæ, agens de ejus contritione: Quæ peccata, ait, fetus iste non purgat? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluunt? Et infra: O felix penitentia, quæ ad se Dei trahit oculos! S. Amb. lib. 2 de Pœnit.: Evidentissimè, ait, Domini prædicatione mandatum est etiam prævisis criminis reis, si ex toto corde et manifestâ confessione peccati penitentiam gerant, Sacramenti celestis refundendam gratiam. S. Chrysost. serm. de Pœnit.: O penitentia, ait, quæ peccatum, miserant Deo, remittit, et paradysum resecas, quæ contritum sanas hominem, et tristem æstularem, ritum de interitu revocas, statum restatras, honorem renovas, fiduciam das, reformat vires, gratiamque abundantiorum refundis! O penitentia, quid te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu resecas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O penitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet! Penitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, etc. O penitentia, misericordius mater, et magistra virtutum! magna opera tua, quibus reos resolvit, ac refticos delinquentes, lapsos relevas, resecas desperatos. Per te subito rapuit latronem Christum ad regnum; per te David post flagitium, felix iterum recepit Spiritum sanctum, etc.*

Rursus S. Amb. lib. 2 de Pœnit.: *Facilius, ait, inveniri qui innocentiam servarint quam qui congruè egerint penitentiam. Si queras, quam ergo, Ambrosii, congruam vocas penitentiam? respondet ibidem: Remittendum seculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat, interpellandus est genitibus, interruptendus est suspitibus, sequestrandus orationibus; vitandum est ita ut vitali huic moriantur usui; seipsum sibi homo se abneget, et totus mutetur, sicut quemdam adolescentem fabula serunt post amores meretricios peregrè profectum, et abfolto amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ; quæ ubi non interpellatam se mirata, putaverat non recognitam, rursus occurrentem dixerit: Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum ego. Unde bene Dominus ait: Qui vult venire post me, abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me. Loquitur Ambrosius de exactâ et perfectâ penitentia, quam pauci agunt: communem enim, quæ presertim, accedente Sacramento penitentia, sufficit ad remissionem peccatorum et ad salutem, multi amplectuntur et agunt.*

IMMUNDA ERIT SEPTem DIEBUS, ita ut nemini, ne marito quidem, cum eâ versari liceat per septem dies; reliquis deinde 35 diebus qui supersunt usque ad 40, arcetur quidem sanctuario, sed tamen cum eâ loqui, vesci et versari (non tamen copulam habere, ait Abul., erat enim instar menstruate) liceat: idcirco hisce septem diebus dicebatur separata, eratque hi

dies separationis, reliqui verò 33 erant dies purificationis.

Juxta dies separationis menstruae, q. d.: Hic septem diebus tam immunda erit quam mulier menstruata, et eodem modo se separavit et immundam gerere debet ac menstruata, de qua c. 15, 19.

VERS. 4. — IPSA VERO TRIGINTA TRIBUS DIEBUS MANEBIT IN SANGUINE PURIFICATIONIS SUAE, id est, in sanguine quo assidue purgatur, inquit Jansen. in c. 10 Concord. Evang. Secundo, per hypallagen, q. d.: Manebit in purificatione sanguinis sui, donec scilicet ad fluxum sanguinis purgetur, de quo plura v. 5. Similis hypallage est Exod. 12, 11; Jerem. 11, 19 et alibi.

Tropol. in sanguine purificationis manere, est eorumnam mortalitatis sustinere, in quam peccando lapsi sumus, per quam tamen ab his que commisitimus emundamur: ut quadragesimo die resurrectionis, Domino in tempore coelestis immortalis et gloriosi sistamur. Ita Radulph. Rursùm symbolice et proprie, sanguis hic et sordes perperui, effectus, poena et indices erant libidiinis, quam habuit femina in conjugali copula et conceptu. Quod enim concipitur turpi cum amore, hoc paritur cum dolore, purgatur cum fectore. Ita justà et aeternà Dei lege sanctum est. Vult ergo Deus hæc purificatione significare casitatem conjugii non accedere ad cœlibatum, sed impuram esse; et conjuges in conjugio egere purificatione. Rectè Cassian. collat. 21, c. 55: *In lege, ait, in quâ conjugiorum jura seruantur, quævis cohibita luxuriæ evagatio, nisi tantum feminæ tamen mancipatur. Hinc nequaquam possunt carnalis concupiscentiæ aculei non vigere, et difficile est ut ignis, cui etiam studiosè pabula ingeruntur, ita præfatis terminis includatur, ut non etiam extra vagatus amburat quidquid attingit.* Plena ergo puritas est in casitate et continentia, cujus candorem, decus et elogia ita depingit S. Cyprian. lib. de Bono pudicitiae: *Pudicitia, ait, est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordatæ caput. Pudicitia sollicita non est cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda, dum innocentæ mater est. Pudicitia semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum querit, decus suam ipsa est. Hæc nos commendat Dominus, connectit Christo, beata ipsa, et beatos efficiens apud quoscunque habitare dignatur; quam nunquam accusare possunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expurgare non possunt.*

S. Ephrem serm. de Castitate: *O castitas, mater ætæternæ, et angelicæ vitæ ratio! O castitas, que munda est corde, ac dulci guttore, hilarique aspectu! O castitas, que homines angelis similes reddit! O castitas, que Dei amicum ita exaltasti in patris æternæ, ut et eos qui emicant ipsum redimeret! O castitas, domum Dei, benignitatis, disciplinæ cognitionisque poena! O castitas, portus tranquillitatis, in summa pace ac securitate constitutus, etc. Et auctor libri de Singul. clericorum apud S. Cyprian. (hunc enim librum non esse Cyp.iani patet ex stylo):*

Casitas, ait, munimen invictum est sanctimoniam, et expugnatio fortis infamiam; fortitudinis firmitas, et lascivie petulantiam infirmitas; probitatis præsidium, et improbitatis excidium; animæ victoria, et corporis præda; ubertas gloriarum, et sterilitas criminum; pronuba sanctitatis, et repudium turpitudinis; sinceritatis, indicium, et abolitio scandalorum; exercitium continentie, et evacuatio tota luxuriæ; pax secunda virtutum, et debellatio iniqua bellorum; puritatis culmen, et libidinis carcer; honestatis portus, et ignominie naufragios locus; virginitatis mater, et hostis immunditiæ; lorica pudoris, et spoliium probricitatis; corruptiois exitium, murus rigoris, et destructio vulgaritatis; severitatis gladius, triumphator et dissolutionis occisor; armatura virum, et exarmatura fluxorum; integritatis dignitas, et fornicationis addictio; claritatis fastigium, et dedecoris precipitium; voluntas bonorum operum, et afflictio vitiorum; refrigerium pudicitie, et poena petulantie; acquisitio triumphantium, et facinorum detrimentum; propius salutis, et perditionis exitium; vitæ spiritus, et carnis interitus; status qualitatis angelicæ, et fanus humanæ substantiæ. Hujus retinaculis omnis obscenitas frenatur, et compeditibus ejus calces furentis libidinis stantantur.

S. Ephrem serm. de Castitate: *O castitas, oculorum frenum, que à tenebris ad lucem totum corpus transfers! O castitas, que carnes castigas, et in servilitatem redigis, et ad caelestia velocitatis penetras! O castitas, que cor possidentis et lascivæ, et animæ ad caelestia alas adjungis! O castitas, que spirituale gaudium parit, et marorem auferit! O castitas, que passiones nimis, et animum à perturbationibus liberat! O castitas, que justos illuminas, et diabolo tenebras offendis! O castitas, que pigritiam depellit, et patientiam offert! O castitas, curus spiritus possessorem suum in sublimem elevans! O castitas, que roseæ instar in medio animæ et corporis flores, universamque domum odoris fragrantia replet! O castitas, præcursor atque cohabitator Spiritus S.! Ut hanc puritatem assequerentur conjuges nonnulli illustres, continentiam in conjugio ex mutuo consensu servarunt. Ita fecerunt S. Ammon cum uxore Euphraphi, ex familiâ Theodosii imp. oriundâ, cum Antigono marito, Anastasio cum Theogniâ, Eucharistis cum Mariâ, Magna cum marito, Olympia cum Nebridio, ut patet ex eorum Vitâ. Plures citavi 1 Cor. 7, 6.*

Quare hoc tantam castitatis domum nemini sine peculiari Dei gratiâ, et multâ oratione obtingit. Testis est S. Aug. de seipso 10 Conf. 19: *Tota spes, ait, mea non nisi in magnâ valde misericordiâ tuâ. O amor qui semper ardes et nunquam extingueris, charitas, Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis. Hinc etiam solent Deus virginis et castos tueri, ut instar amianti sint ab igne inviolabiles. Nec enim ignis in eis invenit viscus aut sordes, quas adurat. Ita S. Cæciliâ, uxor Henrici imp., ut suam virginitatem marito probaret, nudis et illæsis pedibus super ferrum candens ambulavit. Ita Theognia jussu S. Basilii excipiens in sinum carbones ignitos, illeso sinu eos gestavit, eò quod in conjugio cum Anastasio marito continentiam servaret: testis est Amphiloeh.*

in Vitâ S. Basilii. Ita et abbas ille qui Porphyrium meretricem convertit, cum in suspicionis fornicationis cum eâ venisset, ab eâ se purgavit igne, quem in veste illâ portavit, ut habetur in Vitâ S. Joannis Eleemosynarii.

VERS. 5. — SIN AUTEM FEMINAM PEPERERIT, IMMUNDA ERIT DUABUS HEBDOMADIS, Juxta ritum fluxus menstrui (pata 14 diebus, quod erat duplum dierum separationis, si perisset masculum, v. 2), ET SEXAGINTA SEX DIEBUS MANEBIT IN SANGUINE PURIFICATIONIS SUÆ. Ita ut additis prioribus 14 diebus, quibus omnino fuit separata, fiant 80 dies purificationis, qui sunt duplum purificationis in partu masculi; in eo enim tantum statuti sunt 40 dies v. 4.

Quæres cur in partu masculi tantum 40 in partu verò femine stantur 80 dies purificationis? — Respondet Isych. et Cyrill. lib. 15 de Adoratione, et Maldon. in Luc 2, 22, tot dies appositâ ad naturalem maris et femine formationem, constitutos esse: nam marem formari et perfectè organizari 40 diebus, idèque 40 die animari. Mox enim ut fetus perfectè formatus est, animatur, uti docent medici; feminam verò formari et organizari per dies 80, idèque ob debilitatem caloris et virtutis sexualis. Jam hanc formationem maris et femine fieri ex sanguine menstruo: unde nec lone mulierem gravidam menstrua pati, ob que ex lego Num. 15, 19, immunda fuisset, idèque post partum tot diebus censeri immundam quot remittit menstrua, et ex sanguine menstruo fetum efformavit, eò quod menstrua hæc per partum effluerent.

Moralem verò causam esse, quia quot diebus prolem efformavit, totidem quasi in eandem peccatum originale transmittit; unde totidem diebus purificari debere. Verum huic sententiæ repugnant medicis: nam Levinus Lemnius, lib. de occultis naturæ Miraculis, c. 11, docet maris formationem absolvi aliquando die 50, aliquando 53, aliquando 40, aliquando 45; femine verò nunc 53, nunc 40, nunc 45, nunc 50. Hippocrates verò, lib. de Naturâ fetûs n. 10, docet masculum, ut longissimè, 50 diebus formari; feminam, ut longissimè, 42 diebus; idèque probat ex purificatione, que post masculi partum durat 50, post femine 42 diebus, ut longissimè. Hinc secundo, alii censent hic spectari tempus non formationis nec animationis fetûs, sed motus quo se fetus in utero proficit: nam, ut docet Aristot. lib. 7 Histor. animal. c. 5, masculi, ut plurimum, circa 40 diem in dextero uteri latere movere se incipiunt; femine verò circa nonagesimum diem, idèque in sinistro matricis latere. Verùm nec hoc per omnia huic legi et temporis respondet, neque certum aut usquequaque verum est: nam Hippocrat. lib. de Alimento, et alii docent neque formationis, neque motus, neque partus hominis simplex et commune omnibus statutum esse tempus, sed varium et multiplex. Adde hanc purificationem non tam ex formatione vel motu, quam ex immunditiâ partus spectandam esse. Unde tertio, probabilis respondet Franc. Valesius, medicus Philippo II, regis Hisp., lib. de sacrâ Philos. c. 18: *Notandum, inquit,*

est duplicem ex utero post partum evacuationem fieri, primam sanguinis copiosâ fluentis, ut singulis mensibus mulieribus fieri solet; secundam aliorum excrementorum, cum exiguâ sanguine stentium partum. Utroque est et que marem peperit brevior, nam cum femine laudiores et excrementosiores sint quam viri, necesse est earum principia in ortu humiliora esse, quam sint virorum. Unde experientiâ constat, non mares, sed feminas ab his mulieribus concepti, que aut naturâ sunt, aut quas ex accidente in conceptu configit esse excrementosiores: indigebunt ergo tales purgatione diuturniori. Et licet Hippocrates lib. de Geniturâ, longissimam expurgationem ejus que peperit marem, censet esse 50 dierum, ejus que feminam 42, tamen ex hæc S. Scripturæ auctoritate et lege colligitur priorem vacationem in maribus posse fieri ad septem dies, in feminis ad quatuordecim, posteriorem in maribus ad 40 dies, in feminis ad 80 posse extendi. Hincque Valesius.

Hec enim innunt verba Mosis dicentis: *Sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ, quantum hic locus non planè convicit, nam dici potest cum Vatablo, eam que parit feminam, per 80 dies censeri immundam, eique juberi ut maneat in sanguine purificationis suæ; non quod tantùm fluat sanguis post partum, sed quia legaliter priorem vacationem in maribus posse fieri ad septem dies, in feminis ad quatuordecim, posteriorem in maribus ad 40 dies, in feminis ad 80 posse extendi. Hincque Valesius.*

Dico ergo, propria et genuina causa hujus sanctionis et disparitatis est voluntas et beneplacitum Dei, qui in partu maris statuit 40 dies purificationis, in femine 80, idèque appositè ad naturam, ob majorem scilicet in partu femine humorum fluxum, et sanguinis corruptionem, ac parietis majorem languorem; nam, ut docet Theodor., gravius laborare solent mulieres dum feminam pariunt, quam dum masculum. Huic junc congruentiam Valesii jam dictam, quòd scilicet fluxus sanguinis in partu maris durare possit ad quadragesimum diem, in femine ad 80, ut potius quod hos terminos nunquam excedat: ita ut hi termini definiant, non tam maximum sive plurimum quòd sic, quam plurimum et maximum quod non, ut loquantur physici.

Tropolog. mulier pariens masculum est anima perfecta, perfecta excolens virtutes: hæc una quadragesima, id est, penitentia hujus vite ante mortem purgatur, ut statim post eam evolet ad cœlum: sed feminam pariens, id est, que remissior ad virtutum culminam non contendit, hæc post hanc quadragesimam penitentia, aliam in purgatorio subit. Ita Radulph.

VERS. 6. — CINQUE EXPLETI FERUNT DIES PURIFICATIONIS SUÆ, PRO FILIO SIVE PRO FILIA, DEFRET AGNUS ANNICULUM IN HOLOCASTUM, ET PULLEM COLUMBE SIVE TURBEREM PRO PECCATO. Quæstio hic est, quònam referendum sit: *pro filio, sive pro filia*, an ad sequens deferat agnum in holocaustum, an ad præcedens, dies

purificationis. Alii enim et plures erant dies purificationis pro partu filiarum quam filiorum. Ex hac questione pendet et resolvenda est alia questio, an sacrificia hic prescripta oblata sint pro prole, an tantum pro matre pariente, an pro matre et prole simul? Variæ hic sunt interpretum et doctorum sententiæ.

Multæ censent hæc sacrificia fuisse oblata in holocaustum et pro peccato tum matris, tum prolis. Ita S. August. q. 40, Hugo, Rupert., hic Beda et Euthym. in Luca 2; Barradius lib. 10, c. 4, 5, 6, et S. Eligius hom. de Purificatione: licet enim per sacramentum circumcisionis fuerit infans purgatus à peccato originali, tamen adhuc cum matre censebatur esse immundus legaliter; erat enim adhuc quasi unum cum matre. Unde cum matre per sacrificium hoc expiatur et sanctificatur magis, Deoque hæc legali ceremoniâ consecrabatur. Hinc sententiæ favet id quod canit Ecclesia in respons. 3 et 5 primi nocturni in festo Purificationis: *Obtulerunt pro eo (puero Jesu) pariturum aut duos pullos columbarum.* Verum probabiliss. Jansen. c. 10 Concor., Toletus et Maldon. in Luc. 2, 22, et alii censent mulierem parientem hæc obtulisse pro purificatione non prolis, sed sui solius: id enim disertè dicitur v. 7: *Offeret (sacerdos) illa coram Domino, et orabit pro eâ (non pro eo, scilicet puero), et sic mundabitur à profuvio sanguinis sui.* Rursùm v. ult.: *Orabitque pro eâ sacerdos, et sic mundabitur.* Quare quod canitur in festo Purificationis: *Obtulerunt pro eo,* intellige indirectè et concomitanter, q. d.: Obtulerunt pro partu ejus, sive quia eum Beata Maria peperit. Proles ergo non hoc sacrificio, sed circumcissione purgabatur à peccato originali: deinde si erat primogenita, sisebatur Domino, et redimebatur quinque siclis, ut patet Numer. 3, 47, collato cum Exodi 13, 45; quæ lex redemptionis prolis primogenitæ aliâ est ab hæc lege purificationis: hæc enim solam matrem puerperam spectat. Unde v. 7 dicitur: *Ista est lex parientis masculum ac feminam.*

Hinc sequitur *pro filio sive pro filia* referendum esse, non ad *deferet*, sed ad *dies purificationis*, qui alii erant in partu filiarum, puta 80, alii in partu filii, puta 40 explendi, antequàm mater ad templum veniret, ibique se per sacrificia hic prescripta expiaret. Id clariss. significant Hebr. et Sept.

DEFERET AGNUM ANNICULEM IN HOLOCAUSTEM, ut gratias agat Deo, quòd pericula partus evaserit, utque prolem cum agno in holocaustum offerat Deo, qui eam benedicat, eique agnamin innocentiam tribuat et conservet.

ET PULLUM COLUMBÆ SIVE TURTUREM PRO PECCATO, puta pro immunditiâ et irregularitate legali in partu contractâ, tollendâ. Hæc enim immunditiâ vocatur *peccatum*, scilicet legale: presertim quia ipsa ex peccato originali orta vitiatam in Adamo propaginem nostram clarè significat, inquit Isychius et S. August. Sic immunditiâ legalis contracta ex leprâ vel menstruis vocatur *peccatum*, c. 14, 12; et c. 13, 50. Secundò, simul etiam hæc offerret puerpera pro peccatis propriè dictis, si que in puerperio vel aliis admisit. Appositè

conjunctæ et puerperæ victimæ purificatoriæ prescribitur turtur aut columba: nam turtur gemens symbolum est luctus et penitentiae, nam, ut ait poeta:

Nec genere aeræ cessabit turtur ab ulmo.

Sic genere non cesset penitens donec purificetur. Vox ergo turturis audita in terrâ nostrâ est vox Magdalene gementis.

Rursùm, *Physiologi*, inquit S. Hier. lib. 1 contra Jovinian., *tradunt hæc turturis esse naturam, ut, si parem perdidit, alteri non jungatur; ut intelligamus bigamiam etiam à multis avibus reprobari.* Christus tamen non reprobat secundas nuptias, sed eis præfert viduitatem et continentiam. Columba verò symbolum sunt castimonie et fidei conjugalis. Nam, ut ait Plinius lib. 10, 34, *puccitia columbis prima est, et neutri nota adulterii, tori fidem non violant, communemque servant domum, imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt.* Sic conjugalitatis pudicitia sit prima ut columbis, neutri nota sint adulteria, conjugii fidem communemque domum servent, filios diligant, et in Dei lege erudiant; uxore viri imperium, etiam difficile sit, toleret. Tales turtures et columbæ etiam apud gentes fuerunt.

Valeria rogata, cur defuncto Servio marito nollet de nuò nubere? *Quia, inquit, Servus meus fidei alius defunctus sit, apud me vivit, viveique semper.* Anna florens ætate et formâ, monita ab amicis, ut mortuo marito secundum acciperet, tum ob spem prolis, tum ob amorem mutuum, respondit: *Nulla pacto hoc factura sum.* Si enim bono viro nupsero, nolo posthac timere ne amittam: sin verò malo, quæ me caperet dementia et post optimum talem admissem? Martia, Catonitica filia, rogata cur post mortem mariti nollet alteri nubere, respondit: *Quia non facillè invenero virum qui me magis velit quàm meus;* et rursùm: *Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit nisi semel.* Eadem cum diutius lugeret maritum, rogata quem esset habitura diem luctus ultimum? Respondit: *Quem et vitæ.* Rectè Propertius, Epig. 13:

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,

Masculus et totum femina conjugium.

Denique S. Ambros. 5 Hexam. c. 19: *Hanc avem, inquit, Dei lex, velut castæ hostiæ, munus elegit: quæ cum Dominus presentaretur oblata est; quia scriptum est in lege Domini, ut darent pariturum, aut duos pullos columbarum. Hoc est enim verum Christi sacrificium, pudicitia corporalis, et gratia spiritualis: pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia.*

Sed audi miram historiam, ex quâ discas quomodo columba symbolum sit castitatis et pietatis. Rem narrat Gregorius Turon. de Glorâ Confes. cap. 34, et ex eo Baron. anno Christi 480. Fuit Arverni puella quedam religiosa atque devota Deo, quæ in rure commanens, quò ab urbecâ turbâ semota, liberis dignas Deo laudum hostias exhiberet, quotidie jejuniis et orationibus insistebat. Factum est igitur ut migrans ab hoc mundo, ad basilicam oppidi, causâ sepeliendi portaretur. Verùm ubi levato feretro corpus per viam ferri coepisset, adveniens grex magnus columbarum super eam volare coepit, atque hæc illic volitando sequi,

quò hæc à proximis ferebatur. Quâ in basilicam delatâ, grex totus super tectum ædis ipsius visus est consedis: illaque sepultâ ad cœlos evolavere columbæ. Unde non immeritò Georgia nuncupata est, quæ sic exerevit mentem culturâ spirituali, ut adeptò virginitatis sexagesimi fructus provenit, egrediens de seculo celestibus honoraretur exequiis, inquit Gregorius. Refert Ado, et ex eo Baronius anno Christi 440, Juliâ sanctam virginem et martyrem à Felice principe excarnificatam, et tandem crucifixam, de cujus ore columba exivit et in cœlum evolavit. S. Gregorius lib. 4 Dialog. c. 10 de Spe abbate moriente ita scribit: *Omnes fratres ex ore ejus exisse columbam viderunt, quæ mox aperto tecto oratorii egressa penetravit cœlum. Cujus idcirco animam in columbæ specie apparuisse credendum est, ut omnipotens Deus ex hæc ipsâ specie ostenderet quomodo simplici corde ei vir ille servisset.*

VERS. 7. — ET SIC MUNDABITUR À PROFUVIO SANGUINIS SCI, puta immunditiâ legali quam contraxit ob fluxum sanguinis puerperii (est metonymia, vel catachresis) ut deinceps sanctuarium adire, sacra tangere, offerre victimas alias, iisque vesci possit.

VERS. 8. — QUOD SI NON INVENERIT MANUS EIUS, NEC POTERIT OFFERRE AGNUM. Hebr.: *Si non invenierit manus ejus sufficientiam agni*, id est, pretium quod sufficit ad emendum agnum (ita Chald. et Sept.), puta si sit pauperior, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum; unum in holocaustum, et alterum pro peccato. Divites ergo puerperæ debebant offerre agnum in holocaustum, et turturem, vel pullum columbæ pro peccato: pauperes verò tantum duos turtures, vel duos pullos columbarum; unum in holocaustum, alterum pro peccato, ut fecit Beata Virgo et spiritu et censu pauper: licet ipsa id fecerit, non quia spiritu erat pauper, puta quia amans erat paupertatis, ut vult Abulens., sed quia reverè censu erat pauper et indiga; de talibus enim lex hæc loquitur.

Moraliter discè hic quod ait S. Gregorius Nazianzen. orat. de S. baptismo: *Nihil, inquit, magni aestimatur apud Deum, quod non pauper quoque donare possit.* Deus enim non tam donum quàm donantis affectum poscit; et, ut ait S. Gregorius hom. 5 in Evangel., *ante oculos Dei nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate; nihil enim*

CAPUT XIII.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Homo, in cujus cute et carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus;

3. Qui cum viderit lepram in cute, et pilos in albam mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorum cute et carne reliquâ; plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur.

4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliquâ, et pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus;

Deo offertur ditius bonâ voluntate. Hinc D. Gerson Cancellarius Parisiens.: *Deus, ait, non querit nomina, sed adverbia, id est, non attendit quod facias, sed quomodo, ut ait S. Bernard.* Hinc Christo præ omnibus aliis magna offerentibus, placuit vidua duo tantum offerens minuta. Si ergo multum habes, multa da: si parum, da parum, sed magna et liberali voluntate dandi plura, si haberes; ita liberalitas cordis tui provocabit liberalitatem Dei erga te ut plura accipias; non enim patitur Deus se liberalitate viuci. Narrat Leontius de S. Joanne Eleemosynario Patriarchâ Alexandr. rem miram: *Multas, inquit, benedictiones mitti ei Deus, sed non dimitti quidquam, quod non statim dei pauperibus. Multoties in exultatione invenerunt eum quidam dicentem Deo: Sic, sic, aut tu mittendo, aut ego disperdendo, videbitis quis vincat. Liqueat enim quoniam tu dives, Domine, et vite nostræ miserator es.*

Nota. Cum purificatione puerperæ, simul offerretur infans Deo, si erat primogenitus, ut patet Luca 2, 22, et redimebatur quinque siclis, ut patet Num. 18, 16. Porrò verisimile est prius purificatum fuisse matrem, deinde obtulisse sum infantem, ut censet Franciscus Lucas in Luca 2. Ubi nota. Utriusque hujus ceremoniæ hic erat ritus et ordo. Primò, puerpera venebat ad atrium mundorum, ibique consistebat; nec enim atrium mundorum ingredi poterat, utpote immunda, ante purificationem. Secundò, offerretur turtures, vel pullum columbæ pro peccato; verisimile est eam quoque aspersam fuisse aquâ cirenâ vitæ rufa; illa enim erat quasi aqua lustralis in omni purificatione. Tertio offerretur infantem Deo, eumque redimebat.

Quartò, peractis omnibus, in gratiarum actionem offerretur Deo agnum vel turturem, aut pullum columbæ in holocaustum. Sed de his plura Luca 2. Hæc duo ultima fiebant puerperâ (utpote jam purificatâ) existente in atrio mundorum. Ibi enim offerretur infantem ad osium tabernaculi, ibique emittis spectabat holocaustum suum, quod offerretur in atrio sacerdotum; nam inter atrium sacerdotum et hoc iocum tantum intererat morus, sive septem alium tres pedes, ita ut laici ex suo atrio spectare possent victimas, et alia quæ fiebant in atrio sacerdotum.

CHAPITRE XIII.

1. Le Seigneur parla encore à Moïse et à Aaron, et leur dit:

2. L'homme dans la peau ou dans la chair duquel il se sera formé une diversité de couleur, ou une pustule, ou quelque chose de luisant qui paraisse la plaie de la lèpre, sera amené au prêtre Aaron, ou à quelqu'un de ses fils;

3. Et s'il voit que la lèpre paraisse sur la peau, que le poil ait changé de couleur et soit devenu blanc, que les endroits où la lèpre paraît soient plus enfoncés que la peau et que le reste de la chair, il déclarera que c'est la plaie de la lèpre, et il fera séparer de la compagnie des autres.

4. Que s'il paraît une blancheur luisante sur la peau, sans que cet endroit soit plus enfoncé que le reste de la chair, et que le poil soit de la couleur qu'il a toujours été, le prêtre le renfermera pendant sept jours;